



**DE VITA || ET MORIBVS IGNA-||TII LOIOLAE,|| QVI
SOCIETATEM IESV || fundauit, Libri III.|| Auctore Ioanne
Petro Maffeo, pres-||bytero Societatis eiusdem.|| Ex
auctoritate superiorum.||**

Maffei, Giovanni Pietro

Köln, 1585

VD16 M 110

Ad Montem serratum religionis causa proficiscitur. Cap. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68259](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68259)

88 IGNATII VITAE

ac stabile mansit: ut quotiescumq; sub-
latis in cœlum oculis astra suspiceret
(quod sanè sëpè faciebat, ac diu) mor-
talia cuncta illi repente sordecerent;
& miro quodam æternæ patriæ deside-
rio raperetur.

*Ad Mōtem Serratum religionis causa
proficiscitur. Cap. III.*

In terea simul & animo & corpore
cōualeſſens, è lectulo surgere, & in-
tra cubiculi fines paulatim cœrū expli-
care, atque ingredi cœperat; nihilq; lō-
gius ei videbatur, quām vt de cognati-
one sua, & de domo patris exire, & præ-
teritæ vitæ peccata quām acerrime vin-
dicare ſibi liceret. Sed quia nondum e-
rat ad iter faciendum idoneus, conſti-
tuit interim præclarissimas quasque
Chrīſti Domini, Sanctorumq; reſ ge-
ftas memoriæ cauſa deſcribere: atque
ad id ipsum exquisiti cuiusdam nito-
ris & elegantiæ codice comparato, que
de virtutum exemplis præcipue admira-
batur, in eūm codicem vario pictu-
ræ genere quām cōpositissimis & quā
clarissimis litteris ordine referebat.

At.

Atq; huic operi dū insistit ardentius,
quamquā sua de instituendo nouo ge-
nere vitæ consilia mortalium nulli a-
peruerat; hēc tamen tanta scribendi ac
legēdi assiduitas, cōtemptus corporis,
frugalitatis amor & parsimoniae, ser-
mo quotidianus non ad vrbaniatatem,
vel ad ambitionē, vt antea, sed ad mo-
destiam, pietatemque compositus; hēc
igitur, & alia non obscura immutati a-
nimi indicia, celeriter illum domesti-
cis prodiderūt. In ijs Martinus Garzia
frater natu maximus, qui demortuo
iam pridem Bertramo in dominatu,
reiisque familiaris administratione suc-
cesserat, suspicatus id quod erat, Ignati
um vel morbi vexatione, vel eorum
que legerat admonitione compunctū,
ac pertasum vitæ prioris, nouum ali-
quid ac magnum moliri, atque etiam
fortasse nuntium rebus humanis velle
remittere; commotus animo vehemē
ter, hominem seuocat, varijsque in-
terrogationibus blandè pertentans, ad
extremum per communes parentes,
perque fortunas oēs obtestatur & ob-
secrat, videat etiā atq; etiam quid agat,

B 2 quo

quo progrediatur, ne quid noui consilii capiat, quod vel ipsi munitum & exploratum ad gloriam & opes iter impedit, vel sempiternam Loioleiae familiæ dedecoris notam inurat. Ad quæ Ignatius breuiter, quo se quam pri mum à fratre expediret, satis memor fore sese respōdit officij: & simul, quoniam de recuperata propemodum eius valetudine ad Naiaræ ducem nuntij venerant, in oppido finitimo, cui Nauarreto nomen est, eo tempore cōmorantem; veniam à fratre petiit ducis pro amicitia reuifendi; ac per eam causam, duobus duntaxat assūmptis famulis, eques in viam se dedit, ac breui Nauarretum peruenit in columis. Ibi duce amicisque ita salutatis, vt arcana consiliorum suorum quam accuratis simè tegeret, simul etiam certa pecunia summa in ysus pios insumpta, Barcinonem petere, vt Hierosolymas inde contenderet, famulosque dimittere statuit, quo liberius remotis arbitris in suum sœuire corpus, & debita vitæ licētius acte supplicia à semetipso posset exigere. Solus ergo per summam dis.

dissimulationem Nauarreto profect^o,
primum omnium religionis causa ce-
leberrimam beatæ Virginis ædem adi-
re decreuit, quæ in Mōte Serrato à mo-
nachis Benedictinis incolitur, estque
Barcinoñem è Nauarra potentibus mi-
nime deuia. Deinde reputans apud a-
nimum suum partim voluptates, qui-
bus anteà indulserat, partim etiam pe-
riculosum & graue bellum, quod sibi
rursum à carnis illecebris, atque ab in-
ferioris animæ viribus imminebat; o-
mni ratione se contra domestici ho-
stis insidias muniēdum est arbitratus.
Ergo nō solum institutam, ex quo die
Loiola discesserat, cōsuetudinem ob-
firmato retinuit animo, ut singulis no-
ctibus pœnæ nomine se acerrime ver-
beraret, sed etiam ratus nullum conti-
nentia præsidium posse firmius inue-
niri, quam Dei matris, eiusdemq; Vir-
ginis perpetuæ patrocinium, recenti
præsertim illius in se clementia ac be-
nignitate inuitatus; in eius maximè cli-
entelam fidemque configit, ac studio
virtutis incensus, illico fecit, ut eidem
Virgini sacratissimæ sese irreuocabili

B 3 vo-

22 IGNATII VITAE

voto castitatis obstringeret. Quod reli-
giosi animi obsequium & sacrificium
pro sua infinita bonitate ratum & gra-
tum Deus ipse videtur habuisse: quan-
doquidem beatissima Virgine depre-
cante videlicet, ex eo tempore ad ex-
tremum usque diem Ignatius planè o-
mni sensu libidinis caruit. Ceterum
quo facilius omnes intelligent, quām
sit periculose & anceps, in Christian-
anæ philosophiæ curriculo sine recto-
re ac magistro versari; non omittā hoc
loco quod ambulanti in furore spiri-
tus per eos ipsos dies Ignatio contigit.
Erat eo tempore in Hispaniæ finibus,
Maurorum multæ reliquiæ: quos ne-
fariæ superstitioni Mahometis addi-
ctos, Ferdinandus Catholicus haud ita
pridem è suo pepulerat regno. Ex ea
igitur fece quidam insidens mulo, Ig-
natium fortè asseditus, comitem sese
illi adiunxit; ac nonnulla primū (vt
fit) de itinere sciscitantur, varijs dein-
de sermonibus eō deuentum est, vt de
singulari MARIAE virginitate diffe-
rent, quam cum nefarius ille ante
partum quidem integrum illibatam-
q[ue]

que fuisse fateretur , à partu verò ne-
quaquam; contrà Ignatius ab eiusmo-
di errore quibuscumque poterat rati-
onibus hominem reuocare contende-
ret ; post multam altercationem ma-
gis magisque obstinatus impius ille,
cum oblatam sibi veritatis lucem in-
tueri nollet , repente non sine rabie
quadam subditis mulo calcaribus an-
tecessit, sc̄que celeriter ex Ignati⁹ con-
spectu proripuit. Quo facto vehemen-
tius irritatus Ignatius , parum absfuit,
quin citato gressu persequeretur abe-
untem , & pugione confoderet; faci-
nus indignum existimans, non tam cō-
temptum relictumque superbē se, quā
de summa castimonia & sanctitate Re-
ginæ Angelorum ausum fuisse vilissi-
mū caput ore polluto detrahere: cum-
que militari etiam tum spiritu religi-
onis officijque momēta perpendereret,
se vix pietati satisfaturum putabat,
si tantas blasphemias pateretur inul-
tas, neque ab impuro dæmonis man-
cipio pœnas petulantis lingua repo-
sceret. Verumtamen incitatum iam
generosi pectoris impetum retarda-

B 4 bat

dabat suspicio latentis in tam speciosa cogitatione piaculi; metusque probabilis, ne per hanc animaduersiōnem, & cœleste numen, & eam ipsam quam defendere conabatur, Virginem offenseret. Cūm igitur multa secum agitas-
set, motu corporis pariter atque animo varius, ad extremum, sanè quām precipiti cōsilio statuit ad biuum usq;
procedere, vnde Maurum ex habito colloquio ad proximum pagum no-
uerat diuertisse. in eo biuio laxatis o-
mnino mulæ, qua vehebatur, habenis,
ita de re tota interpretari, vt si bestia i-
psa per se Mauri vestigijs insisteret, nō
dubitaret, quin accepta futura esset vi-
tio Maiestati diuinæ: sin min⁹, pro cer-
to putaret, nequaquam id à se officij
Deum, beatamque Virginem postula-
re. Hac ille mēte processit ad biuum:
cumque pagus ille, quem diximus, ab-
esset diuerticulo passuum non amplius XL, via facili ac spatiosa, planè di-
uinitus factum est, vt sponte sua iumē-
tum angustiore via Barcinonem ver-
sus iter arriperet. Atque hunc in mo-
dum Ignatius in re tam graui, nullo

pla

pia ipsius studia regente periclitatus,
letalis noxæ crimen felicius effugit,
quàm sapientius. Inde progressus ad vi-
cum à Monte Serrato haud longè di-
stantem, de peregrinatione Hierosoly-
mitana, de qua asperiore vita quam pri-
mum ineunda mirè sollicitus, viatori-
um ibi coemit ornatum, sparteos vide
licet calceos, talarem è sacco tunicam,
funemque pro balteo, tornatilem ba-
culum, & in usum aquæ cucurbitam.
Quæ omnia, vt Christi paupertatem
non erubescere, & peruersam recti ve-
recundiam deponere paulatim assue-
ficeret, suspensa propalam ex ephippijs
ad montem usque latus aduexit.

Aitacius in Monte Serrato.

Cap. IV.

QVO simul atque peruenit, tem-
plum ingressus, ac numine salu-
tato, nihil antiquius habuit, quàm vt
per sacram totius anteactæ vitæ con-
fessionem, cōtractas animi sordes elue-
ret. qua confessione in primis fideliter
atque accuratè de scripto peracta per
triduum, summa deinde cum venera-

B s tie